

M:2

304.415
1-4

DISSERTATIO

DE

CENSURA LIBRORUM PERNICIOSORUM, ac SPECIALITER LIBERTINISMO INFECTORUM,

ANNO 1767.

CONSCRIPTA NUNC VERO SINE OMNI MUTATIONE EDITA:
AB EMERICO VAJKOVICS.

ELECTO


EPISCOPO ALMISIENSI, ET PRAEPOSITO
MAJORE, ac CANONICO M. E. COLOCENSIS, NEC NON
REGIO LIBRORUM CENSORE
EMERITO.

COLOCÆ, impressit Fr. Fried. Neuber e S. P. 1791.

Est modus in rebus, sunt certi
denique fines,

Quos ultra, citraque nequit consistere
Verum. Hor. Satyr. Lib. 1-

M 304 415:2



EPHEMERIDUM LATINARUM
SCRIPTORI, VIRO
CLARISSIMO

SALUTEM!

Epemeridibus, quas Die 12. Augusti
anni currentis vulgasti; adjunctam legi cri-
sim Opusculi: *De Potestate Principum sa-
cularium in Librorum censuram*, a me con-
scripti. Poteras quidem synopsim ejus da-
re, hancque velut veterem novitatem,
tuis vulgare pagellis. &c. sed virga Cen-
soria, eaque (ut fecisti) æquo rigidiore,
Opusculum ipsum ferire, salva antiquitatis,
publica authoritate nixæ, veneratione ne-
quaquam poteras. Nimirum: *Est modus in
rebus* &c. in quo sane, eo major tibi
cautio hic adhibenda erat, quod pro ip-
so operis vestibulo legeris; illud, ab E.
R. C. Locumtenentialis, adeoque censuræ
Regiæ Præsides; jam olim approbatum
fuisse, Cujus quidem judicium, te pro tua

Humanitatate, tacita, ut minus præteritione
revereri conveniebat; nedum ut Crisim
tuam in illius, mei que vilipensionem diri-
geres; præsertim cum nullam asperioris
animadversionis probabilem haberes-
causam. Unde factum quoque puto: Ut
ex erronea collineatione, ictus, te etiam im-
prudenter alio, quam intenderes, raperetur.
Quemadmodum enim Censura tua, parte ab
una mihi, vel invito cedit gloriæ: ita par-
te ab altera, ruborem tibi ut incutiat est
necesse.

Nam quod Dissertationem meam,
Illustrium aliquot, hujus & prioris sæcu-
li Oratorum, nominatimque Patris Poree
Orationibus, *Stylo per omnia assimiles;*
tanto

tanto equidem, nec ipse unquam, memet
ego dignabar honore! quo nempe: iisdem,
ac cum primis Proeeo comparari me pos-
se arbitrarer. Necdum enim excidit memo-
ria exemplum STATIJ: *Thebaidem* suam sic
modeste alloquentis:

*Vive precor; nec tu Divinam Æneida
tenta;
sed longe sequere & Vestigia semper
adora!*

P. Poree quidem diversam a Ci-
ceroniana dicendi rationem est secutus,
quo nimirum ostenderet; non omnes Elo-
quentiæ formulas esse a veteribus exhaustas.
Quamvis autem illum, quem Tullius gra-
dum-

dum non attigerit , eo nihilominus per-
venit: Ut sicut Ciceronem nemo; ita nec
illum ullus adhuc imitatum, sit suo in
genere plene assecutus. Tenta Tu: so-
des? Non deerunt volenti Themata in
his præsertim, quæ nunc certatim se se
offerunt solennitatibus.

Arque, si vel unam, Orationi Poreeanæ
similem produxeris, tunc enim vero &
ego tibi complofis adplaudam manibus,
& tu jure exclamaveris: *Oratores vi-
si sumus!* Cornelii equidem Taciti gustus,
multum Differt a Liviano, illius tamen
stylum nulla reprobaverit AEsthetica? Te
autem, si Poreeum, sermone & ingenio
ad ungvem expersseris, Latium, omne
ce-

celebrabit, atque si non primi; certe non postremi subsellii Oratoribus: illustribus tamen adnumerabit!

De cætero, antequam opus aggrediaris, Author tibi sum; ut serio perpendas, quod scriptum reliquit Horatius in Arte:

--- -- --- *Ut si quis (inquit ille)
Speret idem, sudet multum, frustra que labore:
Ausus idem, tantum series, juncturaque pollet!
Tantum de medio, sumptis accedit honoris!*

Sed quid hæc ad propositum? Quid inquam: interest ad perniciosorum abolitionem librorum; Differendo ne an perorando agas; Tullianane an Porecana utaris

Elo-

Eloquentia ? mo-do istud invictis conficias
argumentis!

Atqui hoc ipsum est (inquires) Quod ego
tibi vitio verto : Dissertationem nempe
tuam, vi, ac robore rationum destitui? I-
ta ne vero ? Rationes ergo elumbes ti-
bi, videntur : quibus non Ethnica modo
Roma, verum etiam Principes Christiani,
sancti item Patres, ipsique adeo acatho-
licorum modernorum antesignavi: Lu-
therus & Calvinus adversus libros con-
tagiosos depugnarunt? Has tamen ego in
unam collegi seriem' & in tam propatu-
lo posui; ut lector cæcus sit oportet, qui
eas non discernat, mente vagus, quem ro-
bur earundem fugiat.

Nisi forte in eo me lapsum esse existimes, quod prælaudatis rationibus comprehenderim: *Omnes promiscue libros a non Romano Catholicis vulgatos, quin, & Classicorum non nullos?*

Taliter tu quidem, sed multo aliter ego, qui posteaquam a generali librorum noxiorum censura, ad Posoniensem transivissem, non uno libelli mei loco, palam & aperte asserui: Illos unice libros dogmaticos. Protestantibus esse subtrahendos, quos iis Instructio Regia Posoniensis negat; Permittendos contra omnes, quorum illa iisdem usum relinquit: Quod si in hoc peccatum est? peccavit Diva Maria Theresia, Author laudatæ Instructionis. Cui tamen

men etiam tu ipse assurrexeris? Quænam-
porro sint illa classicorum opera, qui-
bus tu nigrum Thera a me inustum esse
querularis? edic vel unum? *Anne Priapeia?*
illa profecto nemo est, qui non exe-
cretur, modo ipse castus existat. Ideo-
que: Nec tibi ea probari existimo, cum
in eo dumtaxat me redarguas: quod *eadem*
Virgilio adscribam. Ut ut in hoc quoque pal-
mariter exorbites. Inspice quæso: pag. 7:
Libelli mei, & invenies; voces illas;
Priapeia Virgilii; non meas, sed Lutheri
esse, ac propterea diverso etiam chara-
ctere impressas, prouti & Classicorum ali-
quot, quorum ibidem recensentur nomina:
De quibus ego nullam illi quæstionem
moveo, contentus Doctrina, qua libros no-

xios

xios infectatur, ut non satis assequar: cur mihi exprobres eorundem reprobationem? Nisi quod præmemoratum Lutheri sententiam, ex asse meam facias? errore profecto notabili, non quasi ea falsa esset; sed quod: mea non sit, qui in censurandis Ethnicorum operibus, aliam sequor Regulam, septimam videlicet: Indicis, jussu Conc. Trid. editi. Ut videre iterum poteris, in modo dicti libelli pag. 52.

Illa vero exerratio longe gravissima, mihi que etiam summe præjuditiosa evadit, quam verbis exprimis sequentibus: *Ratio operis ea est: ut asserta hypothetica a Romano Pontifice in Regnantes derivata, per se vel per alios, libros revideri libertate (potestate scribere debebas) Typographorum per-*

perversos libros imprimendi licentiam dam-
net.

Neque enim nisi ad odium mihi
confidendum, & nocendi animo chartæ illi-
nere poteras, ut esto fors cætera tua di-
ffimulasse objecta, istud tamen non re-
futare, & si vellem, non possem, quo videli-
cet, reum me peragis, diminutæ adeo Re-
giæ potestatis: quasi *Regnantibus, non ni-*
si hypotheticam, eamque a Romano Ponti-
fice derivatam librorum censurandorum po-
testatem attribuissem. Qui potius, ex ip-
so operis mei instituto, dataque opera,
totus in eo occupabar: ut potestatem
Principum sæcularium, in Politicam libro-
rum censuram, Ipsis absolutam & inde-
pen-

pendentem, muneri denique eorundem
propriam assererem. Theſimque hanc,
præter alia momenta ea etiam fulcirem
ratione, quam a nemine adhuc ſic ap-
plicatam legi, oraculo videlicet: Ipius Be-
nedicti XIV. Pontificis maximi juxta ac
doctiſſimi. In Reſponſoria ad Muratorium
Epiſtola ita ſcribentis: *Cuius gubernio in-
tegrum eſt: opus prohibere, ſi in iis contine-
antur principia ſtatus, principiis ſuis con-
traria.* Ad opusculum meum appello!

Hujus loci eſt monuiſſe: Epiſcopis
quoque competentem, & Magiſtratibus
præſcriptam cenſurandi Methodum, non
ita ut tu nude, ac ſubleſte facis; a me pro-
poni, ſed via & ratione, qua utramque
cum

cum Regia Posoniensi Conciliem. In qua: Præli etiam libertas, (cujus mentionem, a me neglectam male asseris,) certis circumscripta esse refertur limitibus. Cæterum alia est libertas, alia licentia præli: illam permitto, hanc reprobō.

Aque universe affirmare ausim: nullam legem, Protestantium libros Religiosos prohibentem, a me allatam esse, quæ in instructione Regia Posoniensi non contineretur, aut ex illa non sit legitime deducta, sed nec a te quidquam mihi fuisse objectum, quod in libello meo jam velut in semine non sit prævie suffocatum,

Ut proinde: ea etiam, qua hætenus

ctenus latius profecutus sum, non tam necessariae refutationis, quam exempli causa noveris esse deducta; in hunc nempe modum: cæteras quoque tuas animadversiones cribrari potuisse, demonstrari denique: scribilationem hanc tuam (quod principio monui) ut mihi honori, ita esse tibi rubori. Falitas siquidem: subinde, & condemnat & absolvit; condemnat accusantem; absolvit accusatum.

Mendosis certe, quas pagellis tuis inseruisti crisis, animum meum tantopere immutatum scito: ut qui Ephemerides tuas adhuc libenter legerim; deinceps literatorias, earum relationes sim præteriturus. Quem enim in rebus meis præ-

tam aperte fallentem deprehendi, qui credam esse veridicum in alienis?

Quia vero in rebus etiam ad Catholicam Religionem pertinentibus pari fide te adhuc versatum fuisse, & ego, & alii, sæpius notavimus; idcirco; ex occasione monitum te velim: Ut calamo tuo hac in parte sic modereris: ne qua sacram, vel in minimo lædas Religionem, Ministrosve ejus in contemptum adducas, memor: eos esse Patres populorum spirituales: ut si contingat etiam, quospiam eorum denudari cum Noë; te tamen non oportet sequi: maledictum Chanaan, ita denique, scribes: ne lectori, cui adhuc ignotus es, justam suspicandi ansam præbe-

as:

as: Te orthodoxæ fidei haud esse addictum,

Nec satis esse censebis: apertum dumtaxat Religionis nostræ præjudicium tibi esse cavendum, verum etiam palliatum, legimus enim & nos: quod non solum *ferus aper, sed & astuta vulpecula possit demoliri vineam Domini Sabaoth*. Tuque ipse meminisse debes illius, scripturæ: *Frustra jactur rete, ante oculos pennatorum*. sed & in alijs criteriis, oportet te memorem esse, lemnatis præfixi: *Est modus in rebus*. &c. ceu præcipuæ critices Regulæ. Vel ista certe, quam adornasti Crisis, satis manifestat: quomodo se prodat (ut Vulgo dicitur) Clavus ex sacco pupugit te, nimirum: illa Posoniensis Instructionis restrictio, qua

X X

non

non universalis (ut tu voles) sed limitata
tantum librorum Protestantorum retentio
concenditur. Hinc ille lachrimæ! Hinc &
Rhadamantica illa sententia! qua reliquas
novem Dissertationes meas æternis damnas
tenebris! Subodorabaris videlicet: quod si
censura una Politica, adeo infesta est libris
non toleratis: quales erunt novem Ecclesi-
asticæ, quæ nec toleratos Hærodoxos pati-
untur, Hinc denique: tuum illud, alias non
malum consilium, sed tamen a censura libro-
rum protestanticorum abstractivum, quo in-
nuis: ut stylum meum divertam potius in lib-
ros: *Omnem Christianam Doctrinam respu-
entes*, adeoque in libertinorum scripta.

Bene habet! Accepto Provinciam a
te

te mihi designatam, neque tamen ita, ut
pentitus decedam de priore. En libellum
desideratum! Præmoneo nihilominus: hunc
esse unum, de novem illis Dissertationi-
bus, quas paulo ante suppressi jussisti.

Sed enim sicut juxta communem ju-
ris regulam: *Species derogat generi*; ita
& particularis hæc intentio, tuæ illi sen-
tentiae generali poterit prævalere. Vale,
& Boni consule!

Dabam: Colocæ, prid. Id. Sept. 1791.

Printed by J. H. Smith, at the Press of the American Book Concern, No. 107 N. 3rd St., Philad.



DISSERTATIO NONA.

DE

CLEMENTIS XIII,
PONTIFICIS MAXIMI, &
AUGUSTISSMÆ IMPERATRICIS,
ac REGINÆ UNGARIÆ MARIE THE-
RESIÆ CONATIBUS APOSTOLICS,
in Librorum perniciosorum abolitionem
impensis.

§ I. Ordine & gradatim pro-
cedunt omnia: Benedictus XIV. Pontifex
maximus, formam (ut superioribus Differ-
tationibus enarratum est) Censuræ Libra-

riæ induxit perfectissimam; armavitque eadem, veluti virga pastoritia Episcopos, auxiliareſve eorum copias: Librorum Censores. Unicum supererat, ut nimirum: iidem in campum educerentur certaminis ac victoriarum feraciorem.

Finis Cle-
mentinæ
Conſtitu-
tionis propo-
nuntur.

Præſtitit iſtud, immortalī dignus memoria, ſucceſſor Ejusdem Benedi-
cti: Clemens XIII. Ille enim, cum è Specula culminis Apoſtolici ſtudioſius circumſpiceret omnia; obſervavit denique: hoſtes avitæ Religionis, armis quidem reſectiſſis, novis tamen ſtratagematibus in preniciem Fidelium, præ veteribus illis tenebrionibus longe artiſcioſius & periculoſius graſſari. In hos itaque prudentiſſimi inſtar Bel-
liducis, ſagaciſſimum cenſorum exercitum, ſub Præſulum auſpiciis pugnaturum pleno curſu immiſit; lege
data

data: non ut aliis parcerent inimicis, sed ut in hos potissimum, pro merito sævirent; si tamen sævities dicenda est: rebelium, & omnem Rempublicam, ipsamque adeo Religionem funditus evertere molientium justa coercitio.

Sunt hi: Athei insipientes, Divinæ item providentiæ fugitivi Deistæ, Materialistæ (ut vocantur) nefarii; adeoque suæ etiam ipsius animæ Sacrilegi profanatores, quam nempe; nativa Dei imagine, & sua æternitate spoliare non verentur. Perfidi Divinarum Revelationum hostes: Naturalistæ, Epicuri præterea de grege porci, horumve strenui imitatores, qui larva & abusu delectationis victricis, sibi aliisque imponere modis omnibus laborant. Factiosi denique Hierarchiæ

Synopsis
Ejusdem.

Ecclesiasticæ cunicularii, simulque visibilis Ecclesiæ capitis, & supremæ sedis, non tam aperti invasores, quam deteriores his, quæsitæ quavis occasione obtrectatores, & insidiatores malevoli, cæterique hujus fursuris, ac fœtentium jam ab antiquo vetèramentorum novi propolæ.

Meminit horum omnium suisque eosdem proturbatos latibulis in lucem educit, & propriis adeo pingit coloribus ac insignit characteribus, ut non dignosci a quovis velmodicum oculato non possint. Clemens, quem commemoravi Xlllius suo in Brevis, quod hic per extensum repræsento, ea videlicet de causa; ne desit opusculo huic eimelion tam pretiosum, & censoribus Librorum utile admodum, quin & necessariam subsidium,

§ II. Sanctissimi in Christo Patris
& Domini nostri Domini Clementis
Divina Providentia Papæ XIII. Episto-
la Encyclica ad omnes Episcopos, ut cre-
ditum sibi ipsis Dominicum Gregem a
noxiorum librorum lectione avertant.

Venerabilibus Fratribus, Patriar-
chis, Primatibus, Metropolitanis, Ar-
chi-Episcopis, & Episcopis universis
Gratiam & communionem Sedis A-
postolicæ habentibus.

Clemens Papa XIII.

Venerabiles Fratres salutem, & Constitutio
Clementis
XIII.
Apostolicam Benedictionem. Christi-
anæ Reipublicæ salus, cujus causam à
Principe Pastorum, & Episcopo ani-
marum accepimus, vigiles nos esse
compellit, ne insolens, & terribilissima
librorum licentia, quæ è latebris ad

exitium, & vastitatem emerfit, eo fiat perniciosior, quo se in dies efferendo fit latior. Execrabilis erroris perversitas, & inimicorum hominum audacia in medio Tritici, qua scripto, qua verbo superseminans Zizania, his praesertim temporibus adeo excrevit, ut nisi falcein ad radicem immittamus, & alligemus mala germina in fasciculos ad comburendum, parum absit, quin spinæ pravitatis exortæ plantationem Domini sabaoth suffocare aggrediantur. Perditi enim homines ad fabulas conversi, & sanam Doctrinam non sustinentes, quaquaversum invadunt Arcem Sion, & per pestiferam contagionem librorum, quibus fere obruimur, in Christianæ Plebis interitum serpentina venena pectoribus evomunt, illines credendi fontes corrumpunt, & Religionis fundamenta con-

convellunt. Abominabiles facti in studiis suis, sedentesque in insidiis clam è Pharetra jacula educunt, quibus in obscuro sagittent rectos corde. Quid est tam Divinum, tam sanctum, & vetustissima omnium temporum Religione consecratum, à quo impias continuerint manus, & In quo oppugnando lingvas suas tanquam gladium non exacuerint? cucurrerunt primum adversus Deum erecto collo, & armati pingvi cervice contra omnipotentem roborati sunt. Impiorum deliramenta toties fracta è cineribus excitantes: Deum ubique prædicantem, & quotidie in oculos incurrentem denegant, non ex obtusa ingenii acie, sed solo depravatæ voluntatis Consilio: vel Deum ipsum desidem, & otiosum effingunt, cujus nec providentiam colunt, nec justitiam venerantur. Animæ ve-

ro nostræ originem, & naturam ad
Imaginem Supremi conditoris creatam,
& Paulo mius ab Angelis minora-
tam facta prorsus, & vesana opinan-
di licentia mortalem prædicant. Ma-
teriam sive creatam venserint, sive æ-
ternam, & nulli causarum obnoxiam
somniaverint. Nihil tamen præter il-
lam in hac rerum universitate arbit-
rantur: vel coacti fateri spiritum cum
materia existere: animam tamen ab
hac cœlesti conditione deturbant: no-
lentes intelligere, in hac ipsa, qua
compacti sumus imbecillitate, spiritu-
ale quidam, & incorruptum inesse.
Cujus vi sapimus, agimus, volumus,
quo & futura providemus, & intue-
mur præsentia, & præterita recorda-
mur. Alii vero, etsi probe sentiant,
abigendam esse procul terrenam ca-
liginem rationum, & ab illuminatæ
fidei

fidei oculo depellendum mundanæ sapientiæ fumum, recondita tamen fidei mysteria, quæ exsuperant omnem sensum, humanis audent examinare ponderibus, & Scrutatores facti Majestatis, opprimi non verentur à Gloria. irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quæstiones de altissimis rebus temere ventillantur, Omnia sibi usurpat audax inquirentis ingenium, omnia scrutatur, fidei nihil reservans, & eidem detrahit meritum, dum in humana ratione quærit experimentum. Nonne iis etiam necesse est indignari, qui turpissima & rerum, & verborum obscænitare severos, & pudicos mores per summum scelus corrumpunt, execrabilem vivendi licentiam svadent mentibus incautorum, & pietati extrema inferunt dispendia? Quid? quod serpsita
sua

sua conquisto quodam nitore & blanda orationis festivitate, ac lenocinio inspergunt, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius veneno erroris inficiant. Sic imprudentibus fel Draconis in caliculo Babilonis propinant, qui suavitate sermonis illecti, obcecati, toxicum, quo pereunt, non agnoscunt. Quis demum acerbissimo non conficatur marore, cum viderit insensissimos hostes, prætergressos quoscunque, modestiæ, ac debiti obsequii fines, editis nunc certo, nunc e mentito prælo contumeliosis libris, irruere in ipsam Petri Sedem, quam Redemptor fortis Jacob posuit in columnam ferream, & in murum æneum adversus Principes tenebrarum; hoc perditio fortasse adducti consilio, ut, ubi caput affligerint, liberius Ecclesiæ membra discerpant.

Ita-

Itaque venerabiles Fratres, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, & de singulari sacramento humanæ salutis edocuit, non possumus in tanta librorum depravatione, quin, quod nostrarum est Partium, studia Devotionis vestræ excitemus, ut, qui in partem Pastoralis sollicitudinis vocati estis, in idem majori quo potestis conatu conspiretis. Pugnadum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, & pro viribus tot librorum mortifera exterminanda perniciēs; Nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitas facinorosa elementa flammis combusta depercant. Dispensatores facti Mysteriorum Dei, & armati illius potentia ad destructionem munitionum satagite, ut creditæ vobis Oves, Christi sanguine redemptæ à venenatis hisce Pascuis arcean-

ceantur. si enim necesse est a malorum hominum societate discedere, quod verba eorum multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit: quam vastitatem pestilentia efficiet librorum, qui apte compositi, & artificii pleni, manent perpetuo, & semper nobiscum ad sunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum Domi sedent, & eorum penetrant cubicula, ad quæ improbo, & occulto Auctori aditus non pateret? Constituti ministri Christi in gentibus, ut Sanctificeris Evangelium suum, perficite, laborate, & quantum in vobis est, opere, & sermone succidite fallaciæ stirpes, corruptos vitiorum fontes obstruite, insonate buccina, ne pereuntes animæ de manu speculatoris requirantur. Agite pro loco, quem tenetis: pro Dignitate, qua insigniti estis

stis: pro potestate, quam á Domino accepistis. Præterea cum nemo possit ac debeat ab hujus cristiciæ participatione secerni, & in tanto fidei, ac Religionis discrimine una omnibus dolendi, una juvandi communis sit ratio. Avitam Catholicorum Principum pietatem, ubi res postulat, imploreat: gementis Ecclesiæ causam exponat: & amantissimos ejus Filios, de illa tot nominibus egregie semper promeritos, ad opem ferendam excitare; ut quoniam non sine causa gladium portant, conjuncta Sacerdotii, & Imperii auctoritate perditos homines contra phalanges Israel pugnantes strenue comescant, & eliminent. Ad vos, Venerabiles Fratres, potissimum pertinet, stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur, quam id, quod positum est, & tueri sanctissimum

Fi.

Fidei depositum, cujus custodiae in solenni inauguratione sacramento Vos addixistis. Detegantur Fideli Populo Vulpes, quæ vineam Domini demoliuntur: moneatur ne capi se sinat splendidis certorum Auctorum nominibus, ne circumferatur nequitia, & astutia hominum ad circumventionem erroris unoque verbo; libros excretur, in quibus aliquid resideat, quod Lectorem offendat, Fidei, Religioni, bonisque moribus adversetur, & Christianam non sapiat honestatem. In quo quidem plerisque Vestram intimo gaudio gratulamur, quod Apostolicis inhaerentes Institutis, & Ecclesiasticarum legum strenui vindices omnia studia sua, in hac avertenda peste fortes, vigilesque contulerint, nec siverint simplices tuto dormire cum serpentibus. Nos certe, qui sollicitudo

dido

dine omnium Ecclesiarum, & salutis
Populi christiani agimur, & distine-
mur, nulli parcentes labori, Vestro e-
tiam in tam gravi periculo adjuvari
pollicemur. Deum interim in humi-
litate cordis nostri rogare non desi-
nemus, ut det Vobis auxilium de
sancto, ad declinandam insidiantium
hostium calliditatem, & ministerii Ve-
stri partes cumulate implendas: Et op-
tati eventus auspiciem vobis, & gregi
vestro Apostolicam Benedictionem a-
mantissime impertimur. Datum Ro-
mæ apud Sanctam Mariam Majorem
Die 25. Novembris. MDCCLXVI.
Pontificatus nostri Anno Nono.

§ III. Accepto hoc Brevi Maria
Theresia Regina, ac Imperatrix, intel-
lectisque precibus Episcoporum, qui
jussu Pontificis Maximi, opis implo-
randæ

Fervens
Mariæ The-
resie adver-
sus Indiffe-
rentistas
studium,

randæ causâ eandem accesserant, haud, diu morata est illorum vota, sed eorundem, & suo cumprimis obsecundans zelo, dignum se, Apostolicæque Reginae munere edidit Decretum, illudque lectissimo suo genero: serenissimo videlicet Saxoniae Duci, atque adeo Excelso consilio Locumtenentiali Regio, Posonium transmisit; toto Regno Hungariae subinde promulgandum, quo nimirum: Omnis. qua late patet Indifferentismus, ceu septiceps Hydra, uno quasi ictu jugularetur.

Sapienter profecto ac providentissime: Nam, & universum fere summi Pontificis Breve, uno libertinismi seu Indifferentismi vocabulo, velut nucce, Illiadem est complexa, & saluti suorum praesentissimo consuluit remedio,

Nominique insuper suo, ea prospexit ratione: ut ne umbra quidem neglecti officii, intermissæve in petulantes libertinos justæ animadversionis queat, vel a malevolis eidem induci aliquando.

Quam maculam Divo illius Avo, Eduardus Bronw, suo in Itinerario, aspergere connisus fuerat, lib. 3. c. 6. scribens: libellum, cui titulus *Religio Medici*, a Thoma Brown, in commendationem Indifferentissimi evulgatum, Leopoldo M. Imperatori in deliciis fuisse.

Indifferentissimi
suspicio
Leopoldo M.
removetur.

Quamvis autem liber ille, lenociniis omnibus ad illudendum compositis sit instructissimus, nullaque meretricis Babylonica artificia prætermittat, quibus lectorem incautum, intoxicet, atque in suam inflectat sen-

tentiam: ut summopere dolendum sit, illius Auctorem, præstantissimo suo ingenio, tersissimaque scribendi ratione ad hujusmodi ineptias abusum fuisse. Summum ramen illum Monarcham, & nota orbi universo ejusdem Orthodoxia, & penetrantissimum mentis acumen, quo Virus, operis illius, utut tectum discernere valuerat; ab hujus suspicione contagionis, quam longissime removent.

Repetuntur
laudes M.
Theresiæ.

Neptem vero illius: Augustissimam, Avo suo nihilo minorem, hoc quoque quod mox referam Inimatum, peculiari quodam, publicis nempe: atque ex omni parte authenticis instrumentis proprio modo, præstat, præstabitque immunem, ab hujusmodi calumniatorum dictis scriptisque, apud omnem posteritatem.

Quam-

Quamquam istud, neque primum,
neque maximum sit Palladis nostræ
certamen, quod adversus eorum
phalangas suscepit, ac victorioso termi-
navit.

Multo antehac, & latiori quidem cam-
po, configere cepit, hodieque con-
fligit eadem Augusta, cum libris pe-
stilentibus, horumque sive Auctori-
bus, sive fautoribus, quemadmodum
Dissertatione postrema uberius exhi-
bebitur. Nunc standum est promissis,
atque Decretum illius recentius, quo-
niam, hic aptiori loco stabit, est re-
ferendum, sic autem habet.

INTIMATUM REGIUM

DE LIBERTINIS MO.

MARIA THERESIA

§ IV. Serenissime &c, Ex quo magno cum animi nostri moerore intelligere debeamus: damnatum Libertinismum, seu abominandam de sacra Religione, ac ejus Mysteriis, pro cujusque arbitrio sentiendi Libidinem, in animis multorum jam ita invaluisse, ut palam & publice, sacrae Religioni explosivis passim verbis & Sermocinationibus, impudenti audacia, summaque temeritate illudere non erubescant. Hinc ut DEO; per quem ipsi etiam Reges regnant, & ad cujus amplificandum honorem, & augendam Sanctissimi Nominis Gloriam
omnis

omnis rationalis Creatura est condita, efformataque : sua Majestas, ipsi vero per eundem institutæ & per Apostolos propagatæ veræ Fidei, quæ non modo Rerumpublicarum Basis & fundamentum, verum etiam tam temporalis, quam æviternæ Felicitatis fons & Scaturigo est) sua Integritas, & Veneratio constant : Dilectioni & Fidelitatibus vestris, hisce benigne ac serio committendum esse duximus, quatenus tam sibi Subordinatis, ac subalternis officiis suis cum extensa harum perfectione, quam & Universis Regni Comitatibus & Districtibus separatas portas habentibus, abrupta omni mora supremo nomine nostro declarare noverint : Benignam, eamque absolutam voluntatem nostram esse, ut damnabilis hic Libertinismus & Indifferentissimus, ubique Locorum penitus
&

& effective ex animis hominum eradicetur, DEO e converso omnipotentis, myſteriis item ſacræ Religionis debitus cultus, honos, & veneratio tribuatur. Huncque in finem omnes eos: qui huic crimini ſtimulo propriæ conſcientiæ ſemet irretitos eſſe ſentiunt, ad iſtantiſſimam ſui converſionem ea ratione ſerio præmonitos eſſe velle, quod, ſi ab hocce damnato errore, non ſtatim receſſerint, tales non ſecus atque illi, qui in hunc præter omnem meliorem expectationem noſtram, neſors adhuc prolaberentur, Pœnæ pro gravitate ipſius Criminis ſtatuendæ prorsus exemplari, indiſpenſabiliter ſubiiciendi, nec minus tales etiam: qui procacibus, ſcandalofis, & temerariis huiusmodi ſermocinationibus intererunt, neque Authores harum rerum competenti Jurisdictioni illico

illico detexerint, exemplari æque pœna afficiendi sunt. Cautum nihilo minus una esse velimus: ne quis sub gravi Responsionis onere, hac via ad alios injuste criminandos & deferendos quaquà ratione abutatur.

Ulterius quoque clementer statuimus & districtim præcipimus, ut Possessores Librorum, qui seu amplectendo damnato huic Libertinismo, ac Indifferentismo viam quodammodo sternunt, seu ipsis mysteriis fidei illudendo Religionem explodunt, tales Libros intra spatium octo dierum a Die Publicationis præsentum computandum, ipsi comburere teneantur, siquidem casu in contrario, quæcunque demum persona illa fuerit, apud quam ejusmodi libri deprehendantur, aut quæ alios quospiam tales libros habere & saltem legere, vel
plane

plane huic damnabili errori adhaerere certo sciverit, eosque actutum non indicaverit, ipso facto illi, qua ipsi huic sceleri implexi puniendi venient; poenae, absque ullo sexus discrimine sit subjienda.

Pro finali demum superiores cum-primis & reliquos jurisdictionatos magistratus, sub in-cursu indignationis nostrae Regiae, & etiam sub emissione officii sui hoc in passu muneris, obligationisque suae ea ratione commo-neri volumus, ut iidem ejusmodi DEO exesos homines non tantum diligenti cura observare, verum etiam eosdem pro demerito suo, condigna quoque poena afficere noverint, nullatenusque intermitant.

De reliquo &c

Datum Viennae Austriae, die 3 Mensis Maji. Anno Domini 1767.

§ V Summi hoc intimatum mo-
 menti, postquam in E. C. R. locumte-
 nentiali, Pro more periculum fuisset,
 abrupta omni (ut imperabatur) mora;
 bipartito agmine, & ambabus (ut a-
 iunt) manibus, rem aggressi sunt Pa-
 tres: Una quidem ut exstirparent, ra-
 dicitusque evellerent libertinismi ger-
 men, quod in regno jam propagari
 cæperat, altera vero, viam ut omnem
 cluderent, ne qua imposterum mer-
 ces hæ contagiosæ ditionibus coronæ
 inveharentur. Ad primum obtinen-
 dum usi sunt, comitatum & di-
 strictuum magistratibus: Istius vero cir-
 ram demandantur Regiis, qui Po-
 sonii duo degunt Revisoribus. Quorum
 alterius cum ego fungerer munere
 per Illustrissimum ac Reverendissimum
 Dominum Episcopum Franciscum e
 Comitibus Berchtoldt Excelsi hujus
 Di-

Solertia E.
 C.L. tenent
 R.

Dicaſterii Conſiliarium, Exemplar Decreti Regii mihi conſignatum fuiſſet; partium mearum eſſe duxi: Indifferentiſimi, tum in genere indelem penitus inſpiciendi, tum ſpecies diſcernendi, harumque ſingulas propriis inſigniendi characteribus, ne qua fuget oculos, Liber ad cenſuram ſubinde adferendus: velo quovis tole-

Encomia
Comitis E-
piſcopi
Franciſci
Berchtoldt

rantia reſtus. Probavit Conſilium, vir Religionis zelo inclytus, ſolidaque eruditione præditus, Sed cumprimis prudentiæ ac moderationis laude celebratiſſimus, quem paulo ante commemoravi, effecitque ſua apud me authoritate: Quo ſummarium ut minus ideæ meæ huic lucubrationi infererem.

Libertiniſ-
mus in ge-
nere.

Indifferentiſſimus itaque, notione univerſali eſt: qui in Religionis negotio,

am.

amplam unicuique libertatem concedit, ut quæ ipsi secta verior (dixero potius: commodior) visa fuerit, eam amplectatur. Ac proinde idem per omnia est cum libertinismo. Nominatur idem Adiaphorismus etiam, ea de causa, quod cæteros articulos, demptis iis, quos quis sibi adoptaverit, nec pro bonis, nec pro malis reputet, imo sectam quoque, quæ assumpta fuerat, commutari cum alia patiatur: Quoties si ve status, seu æconomix, aut quævis alia utilitas, & quandoque vel nulla libido svalet immutationem. Sed & tolerantismus insuper dici ac esse studiosius affectat, proptereaque tolerantix Jura prætendit in quavis Republica, nec solum Civilis, verum etiam Theologicæ, idest: tum in foro fori, tum in foro poli.

Septem spe-
cies Indif-
ferentis-
mi.

Dividitur vero in Septem Species, ut non immerito illum, septicipitem Hydram superius §. 30. compellaverim.

Supremum ejus, quod effert caput, omnium aliorum vastissimum ac monstrosissimum existit : ut cui nec materialismus, nec Atheismus, adeoque nec Epicurismus, Pantheismus dualismusque videatur reprobandum. Hinc factum ut capiti huic, ad discrimen cæterorum : Latitudinarii nomen a nonnullis sit inditum. A tam late porrecto videlicet Libertinismo.

1. Latitudi-
nariorum.

Proximum, quod huic adhæret, ejusmodi habetur, quo, qui continentur : solo Deismo, vel naturalismo vitioso, aut Religione mere naturali, in cujuslibet sectæ gremio jactant : se sperare salutem. Tantaque est hodie

isto

istorum in orbe Christiano colluvies,
ut perniciosissima generis humanipe-
stis sit reputanda, quamvis iidem pe-
culiari Moralistarum nomine vocitari
summe desiderent eo, quod licet :
nullam exigant dogmatum fidem ;
morum tamen honestati se deditissi-
mos esse profiteantur. Oderunt qui-
dem istos tertii generis indifferentistæ,
in quantum nempe: contendunt hi,
ad assequendam beatitudinem ater-
nam, necessariam esse; aliquam Reli-
gionem Revelatam, in asserendis ni-
hilominus cœlo omnibus omnino Se-
ctariis, qui quidem, quapiam reve-
latione nitantur, adeo sunt Libera-
les, ut neque mahometanos, ne-
que Judacos inde excludant, Hincque
est: quod Laxiorum nomen obtinu-
erint a strictioribus libertinis.

2. Morali-
starum.

3. Laxio-
rum.

Ab iis videlicet, qui solum se restringunt

Christ-

4. & 5. Stri-
ctiorum
Duplex
generis.

Christianismum. Isti porro ; ex una
quasi Christianitatis cervice in duo a-
beunt capita semetipsa mordentia, quod
acres Juræi Pailique concertationes sa-
tis ostendunt. Discernunt quippe :
inter fundamentales , & accidentales
fidei articulos , atque hinc , parte una
concludunt : solas eas Christianorum se-
ctas esse salvificas , quæ fundamenta-
libus inhærent articulis , illas vero
minime , quæ iisdem dissenferint. Qua-
re horum sententia : Ariani, Nestori-
ani, ipsique etiam sociniani cælo ex-
ulant : ut qui circa mysterium sanctis-
simæ Trinitatis, & Incarnationionis
naufragaverint. Quod ipsum tamen
eorundem salutem haud obstat , pars
altera mordicus tuetur ; arcem suæ
causæ in eo constituens, quod bapti-
zati essent, & christiano nomine cen-
serentur. Cæterum in determinandis
funda-

fundamentis illis articulis (ut falsitas nunquam sibi constat) mira est hic variatio. Sequitur sexta indifferentismi Species, & syncretismus audit, estque eorum, qui ex quavis secta, certos seligunt articulos, genio suo magis arridentes, ac ex iis, Religionem novam sibi propriam fabricant. Agmen caudit: Separatismus, sic dictus, quod cum in cæteris domatibus cum orthodoxis consentiat, in uno nihilominus alterove capite ab iisdem se separandi libertatem sibi arroget, ut si quis admissa cæteroquin de sacramentis catholica doctrina, extremam unctionem atque confirmationem interadiaphora referret. Micior quidem hic, modestiorque apparet esse superioribus libertinismis, num tamen propterea minus accensetur capitibus Hydræ illius maleferiatæ? Ita equidem:

6. Syncretistarum.

7. Separatistarum.

dem: nisi hic cumprimis locum haberet, illud scripturæ: Quicumque autem totam legem servaverit, ostendat autem in uno, factus est omnium reus. iacobi 2. 10. Imo vigilantiori præ aliis censura, opus habere videtur mihi hic Indifferentismus, ne videlicet minoris mali; majorisque boni prætextu, latius grassetur.

Atque hæc omnia, non alio pertinent, quam ut notum perspectumque sit: quam late pateat Augustissimæ nostræ Intimatum adversus libertinismum seu Indifferentismum promulgatum.

*Observatio
notabilis.*

Ex quo præterea instar legitimæ conclusionis, suapte natura, illud quoque promanat, servietque pro directione censorum: Quod vi ejusdem Intimati, privata jam sit Tolerantismi apud nos Privilegio, illa protestantium doctrina; quam ex systemate suarum

arum sectarum adhuc docuerunt, atque etiamnum impune practicarunt: Augustanam nimirum ac Helveticam Confessionem, non minus esse salvificam, quam sit catholica Religio. Quid enim est hoc aliud, quam quarta classis Indifferentismus? Aut ergo articulum istum, e Libris in Hungariam invehendis deinceps expungant protestantes, aut mea quidem sententia jacturam eorundem patientur, videantque ipsi: ne errori huic ulterius inhærendo, pœnas insuper incurrant a Sacratissima sua Majestate intentatas.

O. A. M. D. G.



